

velociter cupiens auferre sic rescribo: Multa in sancta ecclesia ordinata fuerunt et adhuc ordinantur pro temporum qualitatibus, quae quidem mutantibus temporibus oportet et cum ipsis mutari. Quod igitur Romani presules alique sancti difficultatem accusandi statuerunt, tempora hoc exigebant, quia numerositas perfidorum raritatem superabat fidelium et non studebant auferre iniquitatem et vicia, sed impedire cupiebant virtutem et iustitiam. Propterea causarum sancite sunt varietates secundum temporum vices, sed magistra providentia semper observet congruam temperantiam. Etenim melius est resistere et pugnare quam pacem vel consensum habere cum operantibus malum.

3.

Papst Silvester II. befiehlt dem Erzbischof Arnulf von Reims, dass denen, welche auf dem alten Kirchhof des hl. Remigius sich beerdigen lassen, nicht die Eucharistie verweigert werde. 999—1003.

Ex privilegiis et epistolis Silvestri pape.

Silvester episcopus servus servorum Dei Arnulfo Remorum archiepiscopo salutem et apostolicam benedictionem.

Nuper nobis ad noticiam perlatum est, quod inter cives vestros de sepulture loco dissidentia sit, cum alii in urbe, alii extra in cimiterio antiquo sancti Remigii sepeliri desiderent atque ideo ab his, quibus intra urbem locus placet sepulture, eucharistia negatur illis, qui morientes in cimiterio predicto extra urbem sepeliri deposcunt. Sed canones asseverant, nulli in extremis eucharistiam negandam, nisi solummodo excommunicatis et satisfacere nolentibus. Perniciosum etiam atque sceleratum recte intuentibus videtur, cum quilibet, salutaria atque vivifica auferendo, fratrem in morte impie relinquit. Apostolica ergo auctoritate precipimus, ut nulli morientium preiudicium fiat, nulli eucharistia negetur, qui in extremo penitentiam profitetur. Omnibus qui volunt liceat, in cimiterio antiquo sancti Remigii absque refragatione tumulari, quatinus et vivi certam tumulandi spem habeant, et defuncti in loco optato in pace quiescant.
